

1240.

1298 d. 2 Juli.

Ärke-Biskopen NILS ALLESSONS vid prestmötet i Upsala fastställda stadgar för Presterskapet i  
Ärkestiftet.

B. 2: 241.

Anno domini Millesimo CC<sup>o</sup> XC<sup>o</sup> octauo in crastino beatorum mārtirum processi & martiniani Nos nicolaus miseracione diuina archiepiscopus vpsalensis apud ecclesiam vpsalensem in synodo nostra ibidem congregata personaliter constituti ordinauimus atque publicauimus infra scripta, in primis videlicet mandauimus vt omnia & singula a nobis in priori synodo statuta & puplicata que superius sunt notata rata permaneant atque firma, superaddentes ad presens statuta subscripta Primum statuimus & mandauimus, vt cum apud ecclesiam nostram sacrum crisma conficitur, quilibet presbiter curatus in ecclesia sua ipsum habeat infra quindenam a die pasche numerandum Item statuimus vt quilibet prouincia de tribus Fulelandis videlicet tiundia attundia & fiedrundia decanum habeat ruralem qui causas audiat repentinias in curiis presbiterorum emergentes & eas modo quo poterit diffiniat & descindet Item ordinauimus & mandamus vt singuli nostre diocesis ad diem synodi vpsaliam veniant tempore hucusque obseruato Jn prouinciis autem diffusis & loco synodi remotis presbiterum vnum ad minus in prouincia qualibet remanere volumus ad ministerium sacerdotale populis prout necessitas exegerit impendendum Jn gestrekaland vero remanere duos presbiteros indulgemus cum prouincia sit diffusa & ab ecclesia nostra vpsalensi remota Jn prouinciis autem vllarakir belling resbohundære vaxal presbiterum nullum tempore supradicte synodj volumus remanere cum hoc necesse non sit propter ipsarum vicinitatem Statuentes vt quilibet sacerdos ad synodum proficiens coram parochianis suis puplicet ad quem presbiterum in prouincia remanentem confugere debeant in casibus qui contingere solent Item statuimus quod pensiones wlgariter gypt & afrah dictas, de prediis ecclesiarum prouenientes ecclesia & presbiter inter se in posterum equaliter diuidant hoc excepto quod de prediis tribus annis proximo preteritis & citra peculum ecclesie titulo empacionis acquisitis seu eciam tantum ad suos vsus predictas in posterum recipiat pensiones Si vero contingat presbiterum aliqua de communibus prediis iam dictis per concambium ad ecclesie fundum deducere velle tunc pensiones equialencium prediorum communium pro vsibus ecclesie ipse presbiter reassignet, vt autem questio cessen in posterum inter ecclesiam & presbiterum, de pensione prediorum volumus & mandamus vt predia tantum vsibus ecclesie appropriata seorsum conscribantur communibus prediis prout antea sepius mandaueramus, in loco alio per se conscriptis Item mandauimus vt quilibet sacerdos cathedralicum annis singulis personaliter ad synodum ferat illi cui nos mandauerimus committendum. Item ordinauimus vt pres-

biteri triticum vel siliginem nobis annis singulis debitum ante dominicam carnis-priui ad vltimum deferri faciant ad loca infrascripta, omnes presbiteri de tiundia excepto habohundære deferant vpsaliam ad curiam nostram de lyhundære & sæhundære deferatur tunum in akir de walendahundære langhundære solendahundære & arlenningiahundære sietoniam brohundære deferat ad curiam nostram muzø, habohundære cum fiædrundai arnø, Qui autem in hoc negligentes fuerint illo termino elapso soluant duplum Item prohibemus sub interminacione anathematis vt nullus ecclesie libros incidat diminuat vel detruncet pro quocumque suo commodo vel pro quacunque sua necessitate Item statuimus vt singuli presbiteri nostre dyocesis, annis singulis ita tempestive vpsaliam veniant, quod modis omnibus intersint misse que in inchoacione synodi sollempniter de sancto spiritu dici solet.

1241.

1298 d. 19 Julii.

Arnö.

Ärke-Biskopen Nils Allessons Aflatsbref för botgörare, som besöka Jungfru Mariæ Capell i Upsala Domkyrka.

A. 3. a. 4: 19.

Omnibus presentes litteras inspecturis, NICOLAUS diuina miseracione archiepiscopus vpsalensis salutem in domino sempiternam, vt fidelium deuocio erga sacrorum locorum deuotam visitacionem, pro dei omnipotentis honore, sanctorum suorum veneracione, & sui ipsius edificatione profectibiliter excitetur, Solet salubriter remissiis indulgencijs velud quibusdam illectiis premiis inuitari, vt fideles ipsi exinde reddantur diuine gracie apiores, Cipientes igitur vt capella beate virginis in ecclesia nostra vpsalensi, congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus & confessis qui predictam capellam in sabbatis tocius anni frequentauerint, & officio misse quam scole ibidem dicere solent interfuerint, seu ad eius reparacionem, ornatum, vel luminaria manum porrexerint adiutricem, De omnipotentis dei misericordia, ac beatorum apostolorum Petri & Pauli, Laurencij & Erici Martirum eius auctoritate confisi, Quatraginta, Hijs vero qui vesperis eiusdem beate virginis dicendis ab eisdem scolis in sextis videlicet ferijs ipsa sabbata immediate precedentibus deuote interfuerint, viginti dierum indulgenciam de iunctis sibi penitenciis supradictis diebus singulis misericorditer in domino relaxamus. Datum apud Aarnø anno dominj M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. Nonagesimo octauo, quartodecimo kal. augusti.

Sigillet, nästan oskadadt, på en ur brefvet klippt remsa.